BEDA VENERABILIS
Salzburg, St. Peter, 1. Viertel 9. Jh. Seite 118
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38278
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



est uere multum cauendum & molestum hypocritarum id est simulatorum genus quicumom
nium uitiorum accussationes odio & liuore suscipiant & iam consultores uideri se uolunt.
& ideo piecauteq: uigilandum est ut quem aliquem reprehendere uel obiurgare necessitas
coegerit primo cogitemus utrum tale sit uitium quod nunquam habuimus uel quod iam carui
mus & si nunquam habuimus cogitemus & nos homines esse & habere potuisse. si uero ha
buimus & non habemus tangat memoriam communis infirmitas ut illam reprehensionem
aut obiurgationem non odium sed misericordia precedat ut siue ad correctionem eius
propter quem id facimus siue ad peruersionem ualuerit. Nam incestus est exitus. nos tamen
de simplicitate oculi nostri securi simus. si autem cogitantes nos in & ipsos inueniremus in eo uitio
in quo est ille quem reprehendere parabamus non reprehendamus neq: obiurgemus sed tamen
congemescamus & non illum obtemperandum nobis sed paritur conandum inuitemus.
Raro ergo & magna necessitate obiurgationes adhibende sunt. Ita tamen ut & iam in his
ipsis non nobis sed domino ut seruiamus instemus. Ipse enim finis ut nihil duplici corde facia
mus auferentes trabem de oculo nostro in uidentiae uel malitiae uel simulationis ut uidea
mus iecere festucam de oculo fratris.

t lx
m lviii

Non est enim arbor bona quae facit fructus malos neque ar
bor mala faciens fructum bonum.

Contra hypocritam quae ceperat exsequitur si uerum inquit & non fictam uis habere
iustitiam quae uerbis ostentas & iam factis conpensare curato ut bona existens arbor bonis
ornaris & fructibus quia & si se fingat hypocrita non est bonus qui facit opera mala. &
si reprehendat in sontem. non ideo malus est qui facit opera bona.

Una quaeque enim arbor de fructu suo cognoscitur.

Qui sit fructus quo mala bona ue dinosci debeat arbor. apostolus ostendit dicens. mani
festa autem sunt opera carnis quae sunt fornicatio In munditia luxoria Idolorum serui
tus uenefitia Inimicitiae contentiones emulationes irae rixae dissensiones hereses
Inuidia homicidia ebrietates comesationes & his similia quae predico uobis sicut predixi.
quoniam qui talia agunt regnum dei non consequentur. Fructus autem spiritus est caritas
gaudium pax longanimitas bonitas benignitas fides modestia continentia ceterum
elimosina uel oratio uel ieiugium. fructus quidem est propriae bonorum. sed non nunquam
quam simulate & iam usurpatus a malis. de quibus dominus ait. quia receperunt mercedem
suam. & alibi. Attendite a falsis prophetis qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium. in
trinsecus autem sunt lupi rapaces. sed non ideo debent oues odisse uestimentum suum
quod plerumq: illos occultant lupi. dum aliud ostentant. ad decipiendum aliud exerunt
ad depredandum uel interficiendum eos qui sub isto uestitu ouino lupus uidere non possunt.
hic ergo non est fructus de quo cognosci arborem monet sed ille qui est supra monstratur.